

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Joachim Schnobel Albert Vom Busch

## **Disputatio Inauguralis De Probationibus**

Rostochii: Kilius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731859561>

Druck Freier  Zugang



Beweise

Tchnotel - Busch <sup>Vat.</sup> fa  
R.U. Ber. 1645.



38

# DISPUTATIO INAUGURALIS DE PROBATIONIBUS,

*Quam*

AUXILIANTE TRIN-UNO,  
*EX DECRETO ET AUTORITATE*  
*Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi F*C*torum or-*  
*dinis in illustri ac celeberrima ad Varnum*

63

*Academia,*

*PRÆSIDE*

*VIRO Amplissimo, Consultissimo, ac Clarissimo*

**DN. JOACHIMO SCHNOBELIO.**

J. U. D. Professore publico, & Juridicæ Facultatis p. t.

VICE-DECANO Spectabili, Dn. Fautore, Patrono, ac Promotore  
parentis loco æternum honorando, colendo,

Pro summis in utroq; JURE Honori-  
bus ac Privilegiis DOCTORALIBUS  
ritè consequendis

Publico Examini submitte

**ALBERTUS DE BUSCH,**  
Mindâ-Westphalus.

Die 10. Julij, horis ante- & postmeridianis  
IN AUDITORIO MAGNO.



ROSTOCHII,

Typù NICOLAI KILII, Academæ Typographi.

ANNO M. DC. XLV.

1645





Principium, medium, atq; terminus  
DE U.S. Nov. 109. princ.

THESIS I.

**D**E Probationum materia mihi disputa-  
turo displicet ejus nobilitatem, utilitatem, ac necel-  
litatem splendidis laudum titulis efferre: Quippe  
deficiente Probatione, omne, quod actum est, in  
iudicio deficit. l. 30. ff. de testim. tutel. unde idem  
esset, ac si solem facibus illustrarem. Hisce igitur  
omissis rem ipsam aggrediat.

2. Definitur Probatio, quod sit rei (i. e. facti. l. 16. C. de probat.  
non juris: Etenim, quæ sunt juris, non indigent probatione, cùm ea  
sint cognita Judici. l. unic. C. ut quæ defunt adroc.) dubiæ (notoria enim  
probationem respuunt. cap. 3. Ext. de testim. cogend. Item decisa & de-  
finita per sententiam aut per transactionem. l. 20. C. de transact. quia &  
hæc certa & indubitata sunt,) Judici per idonea argumenta ostensio.

3. Hujus probationis diversæ recenseri possunt species: Quæ-  
dam enim probationes sunt, quæ Judicem plenè de re aliqua infor-  
mant, utputa Testes, Instrumenta, Confessio, Jusjurandum, Juris præ-  
sumptio, ocularis inspectio & consimilia. Quædam verò sunt, quæ  
semiplenam Judici faciunt fidem, utputa testis unicus, præsumptio ho-  
minis, confessio extra judicialis & alia. Quas ordine paucis attingam.

4. Auspicium. i. de Testibus erit. Etenim horum depositio-  
nes magnam probandi vim obtinent. l. 15. C. de fide instrum. Et quia  
non omnes omnino ad testimonium ferendum admittuntur, cùm edictum  
testium sit prohibitorum. l. 1. § 1. ff. de testim. Nov. 90. princ. In  
iis considerandum saltē occurrit, quinon possint perhibere testimo-  
nium unde facile constabit, qui possint.

5. A testimonio perhibendo repelluntur nonnulli. i. Ratione  
severentiae, familie ac domesticitatis. Huc referuntur i. Liberi, qui  
nec pro parentibus. l. 9. ff. de testim. nec contra parentes testari valent.

A

b. 4.

I. 4. ff. Eod. l. 6. C. Eod. Idq; ob reverentiam. l. 3. §. 5. ff. de testib. quam  
nisi servare debent. l. 6. ff. de in ius voc. tum, quia libertis honesta & sancta  
persona patris videri debet. l. 9 ff. de obseq. parentib. II. Vasalli, qui contra  
dominum nec in civili modicā, nec criminali causa testimonium  
reddere debeant; in quibus si contra fecerint, feudo privabuntur. §. 5.  
militer. 2. F. 33. Etenim quām humiliter, quām devotē, quām benignē,  
quām fideliter erga patronum se habere debeat vasallus, potius ex natu-  
ralibus & bonis curiarum consuetudinibus potest percipi, quām legē  
aut scripto aliquo comprehendī, uti inquit Feudista 2. F. 23. Nec pro  
illo possunt. III. Liberti, qui adversus patronum, ejusve liberos dicere  
testimonium ne quidem cogi debent. d. l. 4. ff. de testib. c. si testes 4. q. 3.  
Ut rāceam eos nec pro voluntatis arbitrio esse admittendos. l. 12. C. de  
test. & quidem hoc ob reverentiam. d. l. 5. ff. Eod. quam debent pa-  
tronō. l. 2 ff. de obseq. parentib. Nec pro illo possunt. IV. Uxor, que  
contra maritū d. l. 4 ff. de testib. etiam ob reverentiam d. l. 3. §. 5. ff. Eod.  
quæ marito exhibenda. l. 14. §. 11. ff. soluto. matri. & pro marito testimo-  
nium ferre prohibetur. l. 24. ff. de test. Idem de Marito, de Sponso &  
Sponsa dicendum. V. Servi, qui itidem à testimonio arcentur, tam  
quoad allodialia. l. 6. ff. de testib. quām feudalia. §. 1. 2. F. 38. Etenim  
quoad J. C. pro nullis habentur. l. 32. ff. de R. I. & metu dominantis te-  
stimonium veritatis sāpē suppressimunt. cap. Form. 10. Ext. de V. S. Item  
Coloni, Adscriptiū, Mercenarij, qui operas suas alieni locant, aliiq; o-  
mnes, qui in servitio sunt, bonāq; fide serviunt: Omnes hi Domestici  
nuncupantur & familiae appellatione continentur. l. 25. §. 2. ff. de adil. e-  
dicto. l. 1. §. 18. ff. de vi & vi arm. l. 11. §. 1 ff. de pānis. l. 19. §. 2. & 3 ff. de V. S.  
l. 10. C. dere milit. l. 6. §. 5. ff. de bīs, qui ad eccles. confi, proinde testimoni-  
um illorum respuit cap. 24. extr. de testib. Gadtest. G. l. pen. ff. Eod. & re-  
probatum dicitur in §. 9. Inst. de testam ord. l. 3. C. de testib. Interdum ta-  
men ob probationis defectum ac difficultatem ad testimonium dandum  
admittuntur, prācipue in factis domesticis l. 3. C. de naufrag. quia non  
facilē, quæ domi geruntur, alieni confiteri poterunt. l. 8. §. 6. C. de repu-  
diis. Item volente adversario admittuntur, quo modo faveri pro sc. in-  
introducto renuntiat, l. pen. C. de pass.

6. II. Ob cognationem, consanguinitatem & affinitatem. Quo-  
modo frater contra fratrem pro extraneo, nec invitus, testimonium di-  
cere potest l. 4. ibi. Eysre, qui priori ff. de testib. nec volens pro eo ob affe-  
ctionem,

ctionem, quam gerit erga fratrem. Quæ etiam vera sunt in fratre pro  
fratre vel contra alium, vel etiam contra fratrem ob eandem affectio-  
nis rationem. Nec contra affines & agnatos testimonium invitum di-  
cere cogimur. l. 10. pr. ff. de gradib. & affin. d. cap. 3. caus. 4. quæst. 3. nec  
consanguineus admittitur. cap. 1. & 2. caus. 3. quæst. 5. Qui omnes, et-  
iam volentes, repelluntur, cum eos solummodo testes ad veritatem  
juvandam adhiberi oporteat, qui omni gratia fidem religioni judicariae  
debitam possint præponere. l. 5. C. de testib. propinquitatis vero affectio  
veritatem impedit. cap. 12. caus. 3. quæst. 5. & per conjunctas sibi  
personas id, quod vere gestum est, aboleri potest. l. 27. de donation. Nihi  
in testamentaria causa de castrensi peculio versemur, in qua fratri te-  
stis frater recte adhibetur. l. 2. ff. qui testam. fac. multo magis ergo ali-  
us cognatus.

7. III. Ob paternitatem. Cujus intuitu parentes (quos in infi-  
nitum intelligo). l. 4. § 2. ff. de injus voc. adversus liberos nec inviti. l. 4.  
ff. de test. nec violentes l. 6. C. Eod. Immò nec pro liberis ad testan-  
dum sunt admittendi; cum illis idonei testes non sint. l. 9 ff Eod. Ete-  
niam vox patris est vox filii, §. 4. §. 12. Inst. de utilib. stipul. Unde per-  
inde esset ac si testimonium sibi ipsis dicerent, contra l. 10. ff & C. de te-  
stib. Sed quod legitur, pater non recipiatur in causa filij in criminali-  
bus causis & contractibus verum est: in matrimonio vero conjungen-  
do & disjungendo ex ipsius conjugij prærogativa, & quia favorabilis res  
est, congrue adhibentur. cap. 3. Ext. Qui matrimonium accus. poss. nisi  
causa quædam prægnans ac grava parentes reddat suspectos, ut hac  
de re suppeditat exemplum. cap. 22. Ext. de ief. & attestat. quod exclam-  
mat testimonium mattis videri suspectum ip. casu, quo filia petit in vi-  
rum quempiam, qui superior est divitiis & nobilitate, potentia vel ho-  
nore, & ideo non esse aliquatenus admittendum. Sic & in testamento  
de castrensi peculio pater potest testari. l. 20. § 2. ff. qui testam. fac. poss.

8. IV. Ratione officij. Huc pertinet Iudex, qui juramentum te-  
stibus, quibus alias injuratis non creditur. l. 9. C. de testib. deferre debet:  
unde sibi ipsi deferre id nequit, cum agens à paciente differre debeat.  
Tutor & Curator, qui in causa pupilli testes non recipiuntur, domini  
enim loco, cum tutelam aut curam administrant, habentur. l. 7. § 3 ff.  
pro. empator l. 56. §. 4. de furtis. ergo testes idonei non intelliguntur. l. 10.  
ff. & C. de testib. Advocatus, qui clientulo suo patrocinium in aliqua

cäusa prästat, in eadem à testimonio arcetur. *l. ult. ff. de testib.* Idem de procuratore causam alicujus agente dicendum per d. l. ult.

9. V. Ob utilitatem sive lucrum. Ut proxeneta, qui est media-  
eq; in aliquo contractu ob spem lucri, in eodem, nisi utriusq; partis con-  
fensi, testari nequit. Item pecuniä corruptus ob testimonium dicen-  
dum. *l. 3. §. 5. ff. de testib.* Etenim testes corrupti facile inducuntur ad  
falsum proferendum testimonium. *cap. 10. Ext. de präsumpt. & dona-*  
*tionis affectio veritatem impedire solet. cap. 12. caus. 3. quest. 5.* Idem  
de paupere minus, quam quinquaginta aureos habente [hic enim in  
jure pauper. dicitur. *l. 10. ff. de accusat.*] statuendum, qui lucri causa fa-  
cile quid admittere präsumitur. *l. 3. pr. ff. de testib.* Nisi sit honestæ  
vitæ & integræ opinionis, quo considerato ipsi creditur: Nemo enim  
sapiens pauperiem dixerit malum. *cap. 6. Caus. 15. quest. 1.*

10. VI. Habito religionis respectu. Quo modo sancitum est,  
contra Orthodoxos litigantes, nemini hæretico vel his, qui Judaicam  
colunt superstitionem, esse in testimonia communionem, sive utraq;  
pars litigans sit orthodoxa, sive altera. *l. 21. C. de heretic. & Manich.*  
*cap. 24. caus. 2. quest. 7.* Cæterum testamentaria testimonia eorum &  
quæ in ultimis elogis vel in contractibus consistunt, propter utilitatem  
necessarij usus sine ulla distinctione permittimus, ne probationum an-  
gustetur facultas. *d. l. 21. in fin.*

11. VII. Ob criminositatem. Huc refero ob crimen aliquod  
infames: In quibus distinctio subsequens occurrit notanda, quod qui-  
dam sit infamis infamia juris; quidam infamis infamia facti. In-  
famis infamia juris est, quando ob turpe aliquod commissum infamia  
alicui irrogatur: Quod fit I. Ipso jure ex qualitate facti, ut puta in-  
improbum fænum excentibus & usuras usurarum illicite exigentibus,  
*l. 20. C. Ex quibus caus. infam. irrog.* Unde hi nec ad communionem  
admittuntur, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiunt  
sepulturam. *cap. 3. Ext. de Usur.* Cæterum super omnes mercatores  
(qui alias vix aut nunquam D E O placere possunt. *Can. 11. diff. 88.*)  
hi plus sunt maledicti. *d. Can. 11. diff. 88.* II. Per sententiam, quæ vel  
ex crimine, quod judicij publici causam habuit, contra aliquem lata est.  
*l. 7. ff. de publ. judic.* Ejusmodi autem judicia publica sunt non o-  
mnia, in quibus crimen vertitur, sed ea tantum, quæ ex legibus judicio-  
rum publicorum veniunt, ut Julia Majestatis, Julia de adulteriis, Cor-  
nelia

nelia de sicariis & veneficiis, Pompeia parricidij, Julia peculatus, Cor-  
nelia de testamentis, Julia de vi privata, Julia de vi publica, Julia ambi-  
tus, Julia repetendarum, Julia de annonā. l. i. ff. de publ. judic. Vel  
quæ in privato judicio infamiam condemnato importat, veluti furti, vi  
honorum raptorum, injuriarum d. l. 7. ff. Eod. de dolo malo. l. 4. §. fin.  
ff. de his, qui not. infam. Ad hoc autem ut quis notetur infamia, tria  
hæc conjunctim requiruntur. I. Ut Judex legitimus & competens se-  
cundum leges, modumve judicarium tulerit sententiam: Etenim laeta  
ab arbitrio de causa famosa non infamat, cùm hæc non per omnia sen-  
tentia sit. l. 13. §. s. ff. de his, qui not. infam. neq; munus ejus publicum, ut  
Judicis. l. 78. ff. de judiciis, incompetitis etiam Judicis sententia, quam  
eulit, nulla est, l. i. §. 1. ff. quod quisq; juris. cap. 4 Ext. de judic. Nec  
jure profertur sententia, si specialiter contraleges, vel SCtum vel con-  
stitutionem fuerit prolatā l. 19. ff. de appell. Neq; etiam sententia con-  
tra juris formam. l. 2. C. quando provoc. non est nec. contra solitum  
judiciorum ordinem prolatā à Judice competente rei judicata obtinet  
autoritatem. l. 4. C. de sentent. & interloc. omn. jud. Hæc sententiae, quem-  
admodum nullæ in jure proclamantur, ita infamiam non incurunt.  
II. Ut sit damnatus ex proprio facto proprioq; nomine. l. 4. §. fin. ff. de his,  
qui not. infam. siquidem alieno nomine condemnatus infamia non la-  
borat: & ideo nec procurator vel defensor vel tutor vel curator vel heres  
furti velex alia simili specie condemnatus, infamia notabuntur. l. 6. §. 2.  
ff. Eod. III. ut sententia ejusmodi transierit in rem judicatam: quod sit  
omissâ appellatione intra tempus legitimū, puta spatiū decēm dierum  
à sententiæ revocatione numerandū. Auth. bodie. C. de appell. cuius alias  
beneficio sententia suspenditur. l. 6. §. 1. ff. de his, qui not. inf. Immo ex-  
tinguitur. l. i. §. ult. ff. ad SCtum. Turpil. Infamis verò infamia facti est,  
cùm opinio alicujus propter dissolutos mores, turpitudinem ac levita-  
tem vitæ apud bonos atq; graves viros gravatur. His ita præmissis dico,  
infamem infamia juris ad testimonij fidem, cùm hujusmodi actus le-  
gitimi iis sint interdicti. cap. 47. Ext. de testib. & adtest. non esse admit-  
tendum l. g. §. s. ff. Eod. tam in criminali, quam civili causa. cap. 54. Ext.  
dote test. & adtest. Quod adeò verum est, ut neq; infamis contra infamem,  
nec criminosus contra criminosum testis esse possit, secundum  
Dd. infamem v. facti in civilibus & modicis fidem facere posse: minor ta-  
men fides ei adhibetur, secundum communem sententiam. In crimi-  
nibus autem & arquis nequaquam. d. cap. 47, d. cap. 54, Ext. Eod.

12. IX. Ratione sexus. Quo modo mulier in testamento pugani testimonium perhibere nequit. §. 6. *Inst. de testam. ord. l. 20. §. 6.*  
*f. qui testam. fac.* Idem in feudo. 2. F. 32. statuendum: quia varium & mutabile testimonium semper fæmina producit. *cap. 10. Ext. de v. 8.*  
Quod & veritati consimile est in hermaphrodito, in quo sexus prævalet fæmineus, unde etiam fæminis annumeratur. *l. 10. ff. de statu homin.*

13. IX Ob ætatem. Quæ consideratæ seni invito. *l. 8. ff. de testib.*  
vel pupillo testimonium denuntiari non potest. *l. 19. §. 1. ff. Eod. cap. se*  
*testes. 4. q. 3.* Impuberi vid. *§. 6. Inst. de testam. ordin.* propter lubricum  
consilij *l. 3. §. 5. de testib.* præterea nullum ipsius animi judicium est.  
*§. 1. Inst. quib. non est perm. fac. test.* & quod videt, ignorat. *l. 1. C. de*  
*fals. mon.* imò juramentum [sine quo testi non creditur, *l. 9. C. de*  
*test.*] præstare nequit. *l. 4. ff. de in lit. jurando.* facilisq; repertur ad  
mentiendum. *l. 15. §. 1. ff. de question.* Quod etiam procedit in minore 25.  
annis, qui de criminali judicio in testimonium citari non debet. *l. 20. ff.*  
*de testib.* nisi de criminis laesa maiestatis agatur, ubi & minor quatuor-  
decim annis torqueri poterit, si ad testimonium provocetur. *l. 10. §. 1.*  
*ff. de question.* Secus in aliis criminibus, in quibus de minore 14. an-  
nis in caput alterius quæstio habenda non est. *d. l. 10. pr. ff. Eod.* Etenim  
ætas, quæ adversus asperitatem quæstionis eos interim tueri videtur, su-  
spectiores eosdem facit ad mentiendi facilitatem. *l. 15. §. 1. ff. eod.* Et  
quemadmodum evidentes in hisce judiciis probationes esse debent.  
*l. ult. C. de probate* ita & magis idonei atq; integri requiruntur. *cap. 54.*  
*Ext. de testib.* Sed numquid major factus minor de hisce, quæ in pu-  
pillari ætate vidit vel audivit, testimonium dare possit? Affirmantium  
castra sequimur, si modò illo tempore, cum ea viderit vel audiverit,  
fuerit ejus ætatis, ut potuerit intelligere, quid agebatur, atq; ita pubertati  
proximus.

14. X. Ratione causæ sive rei, quæ probanda est. Cujus intuitu  
actor, reus, debitor venditor &c. testimonium in re sua ferre nequeunt:  
essent enim testes in propria causa, contra *l. 19. ff. & C. de testib.* nec ca-  
rerent suspicione, *contra l. 3. ff. Eod.* Huc commodè pertinet heres in-  
stitutus, ob eandem rationem, unaq; quodammodo persona est heredis,  
eiusve, qui in eum hereditatem transmittit. *Nov. 48. prin.* Item in judicio  
feudali extranei regulariter non adhibentur testes, sed pares curiæ. *tit. 2.*  
*§. 1. tit. 3. tit. 4. princ. & §. 3. lib. 1. F.* adeò hi desiderantur, ut, si alii, quan-  
cumvis maxime fide digni & idonei, *tit. 10. lib. 1. F.* testes interfuerint,  
*investig.*

investitura minime valeat. *tib. 2. lib. 2. F.* quod idcirco recepium est, ne  
quid falsitatis excogitetur in domini perniciem aliis testibus inductis,  
corruptis forte pretio, amore, odio, vel gratia, vel alia qualibet ex causa,  
qua non sunt suspicanda in paribus *tib. 58. §. idcirco lib. 2. F. tit. 26. lib. 1.*  
*E.* Nisi fiat investitura vetus, qua sit a domini successore vel vasallo suc-  
cessori: ubi extranei etiam recipiuntur ad testimonium. *tib. 32. lib. 2. F.*

15. Deniq; habito respectu ad amicitiam, ad vitia corporis &  
animi. Quibus consideratis Amicus pro amico testimonium ferre ne-  
quit. *l. 3. ff. de test. l. 5. C. Eod.* nec inimicus adversus inimicum *d. l. 3.* Nec  
is, qui amicitiam copulavit cum inimicis; inimicus enim censetur. *l. 7.*  
*§. 10. ff. de off. Praef. urbi. l. 28. C. de inoff. testam.* Nec surdus de audi-  
tu, nec cæcus de visu, nec furiosus, quia mente caret. *§. 6. Inst.* quibus non  
est perm. fac. testam. sensum non habet. *l. 22. §. 7. ff. solvit. matrim.* non  
intelligit, quid agit. *§. 8. Inst. de inut. stipul.* testimonium perhibere val-  
let. *§. 6. Inst. de testam. ordin.* Ex hisce satis expeditum est, quinam re-  
pellantur a testimoniosis, unde, qui admittantur, è contrario liquet.

16. Circa testium inidoneorum probationes sciendum est. I.  
Judicem eorum numerum moderari debere, solumq; quem necessarium  
esse putaverit, evocare: ne effrenata potestate ad vexandos homi-  
nes superflua multitudine testium protrahatur. *l. 1. §. ult. ff. de testib.* Ad  
minimum duo ( unius enim testis dictum non audietur, etiam si præ-  
claræ curiæ honore præfulgeat. *l. 9. §. 1. C. Eod. l. 20 ff. de quastion.*) esse  
debent: quippe in ore duorum aut trium stat omne verbum. *Matt. 18.*  
*cap. 4. & 23. Ext. de testib.* Nisi testium numerus certus actibus quibus-  
dam in jure sit adjectus, ut puta ad testamentum condendum testes se-  
ptem, & si unus deficiat, nullum est testamentum. *l. 12. l. 21. C. de testam.*  
requirantur. Ad donationem mortis causa quinq; *l. ult. C. demor caus.*  
*sadonat.* desiderantur. In hisce & aliis testium numerus moderationem  
Judicis reluit. II. Testes citare, *l. 3. §. ult. l. 20.* à contrario sensu ff de  
testib. *l. 19. C. Eod.* & compellere, si vel odio vel gratia vel timore se sub-  
trahant. *cap. 1. & ult. Ext. de testib. cog.* & quidem post litem contestatam  
*cap. 1. & cap. 5. Extr. Ut lite non contestata.* nisi forte de morte testium  
timeatur, vel absentia eorum diurna: in quibus casibus, cum civiliter  
est agendum (ne veritas occultetur & probationis copia fortuitis casi-  
bus subtrahatur) senes & valetudinarij, aliive testes, de quibus ex aliqua  
rationabili causa timetur, etiam lite non contestata sunt procul dubio  
admit.

admittendi, seu pars conventa sit contumax, seu absens absq; malitia, ut  
conveniri non possit. *d. cap. s.* III. Ad jurandum eos (injuratis enim  
testibus non creditur. *l. 9. C. de testib*) adigere. *c. 3. S. qui intendit. 4.*  
*q. 3.* Quod etiam extenditur ad personas egregias, eosq;, qui valetu-  
dine impediuntur: ad quos tamen domum mitti oportet ad juramen-  
tum præstandum. *l. 15. ff. de jurejur.* Ut que in veritate rerum nove-  
rant, professione suæ testificationis aperiant. *cap. 20. Caus. 3. q. 9.* Illud  
autem est præstandum ante testificationem. *l. 9. C. de testib.* Nisi for-  
tè prolsus à parte adversa remittatur. *cap. 39. Ext. de testib. & adtest.*

17. Secundus plenè probandi modus est Instrumentum. Quod,  
aliis significationibus omisssis, hoc loco dicitur scriptura, quâ litigatoe  
suam intentionem astruere, fidemq; Judici facere conatur. Dividitur  
illud in publicum *l. ult. C. de judic.* & privatum. *l. 5. C. de probation.*

18. Publicum dicitur, quod publicam habet autoritatem. Estq;  
duplex, absolutè publicum, vel quodammodo. Illud est, quod autoritate  
ipsius Principis, Magistratus, aut judicis est suffultum: hoc, quod à No-  
tario ad id requisito solenniter confestum. Ad hujus solennitatem se-  
cundum Dd. sequentia requiruntur. 1. Invocatio nominis divini, si  
talis sit loci consuetudo. 2. Annus nostri Salvatoris. 3. Mensis &  
dies instrumenti. 4. Indictio Romana currens. 5. Nomen & annus  
imperij Imperatoris vel Papæ. 6. Locus celebrati contractus.  
7. Series negotij cum nominibus partium. 8. Testes. 9. Notarij  
subscriptio cum sigillo. Hisce intervenientibus instrumentum hu-  
jusmodi plenè probat, huicq; perinde credendum atq; duobus vel  
tribus integræ fidei testibus; eandem enim vim utrumq; in exercendis  
litibus obtinet. *l. 15. C. de fide instrum.* immò absolutè publicum præ-  
ponderat testibus. *l. 16. ff. de probat.*

19. Privatum verò instrumentum est, quod vel à privato ipso pro-  
priâ manu est confectum, vel ab alio, modò ab illo subscriptum: pa-  
ria enim sunt; quia videntur in eo contenta per subscriptionem ab illo  
approbata. *l. 8. S. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth.* Est hoc triplex.  
I. Dicitur Chirographum, quod est scriptura debiti confessionem conti-  
nens, quam, si debitor suâ manu esse scriptam confitetur, plenam ea  
facit fidem. Idem statuendum de debitore negante eam manusuâ es-  
criptam, modò tres idonei, fideq; digni testes adfuerint, eamq; sub-  
scriperint. *Auct.* Si quis valit. *C. qui potior. in pign.* Secus ubi sola su-  
perest

perest scriptura absq; testium præsentia, eorundemq; subscriptione, *l. 6.*  
*auct. Si quis vult.* 2. Apacha seu quitantia, quæ est scriptura à credi-  
tore facta, in qua de receptis fit confessio, quæq; eandem probandi  
habet autoritatem. 3. Epistolæ & libri rationum, in quos negotia-  
tiones quasdam exercentes, vel boni patresfamilias vel rei alienæ ad-  
ministratores credita, debita vel accepta referunt: quibus, ut pro illis  
credatur, exemplo est perniciosum. *l. 7. l. 6. C. de probat.* Secus con-  
tra illos: nimis enim esset indignum, quod suā quisq; voce dilucide  
protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioq; proprio  
resistere. *l. 13. C. de non numer. pecun.*

20. Sciendum est hic instrumentum aliud dici Authenticum,  
*cap. 1. ext. de fid. instrum.* seu Originale, *l. 3 C. de divers. rescript.* quod pri-  
mo de aliqua re conficitur; Aliud Exemplare, *d. cap. 1.* seu transilm-  
ptum, alio nomine copia, sive exemplum, *l. 2 ff. de fid. instrum.* nun-  
cupatur, quod ex originali propter verustatem vel aliam justam causam  
describitur. Hoc si jussu & autoritate judicis, vel etiam per personam  
publicam, habitâ diligenti collatione, factum, habet eandem cum origi-  
nali probandi autoritatem, *cap. fin. Ext. de fide instrum.*

21. Ulterius quodlibet instrumentum 1. non debet esse can-  
cellatum neq; abolitum, neq; ex quacunq; suæ formæ parte vitiatum.  
*arg. l. ult. C. de editto divi Hadr. toll.* Quod si ita repertum fuerit, nil  
quicquam fidei habebit: nisi in loco non suspe cto sit abrasum, quo  
modo nec vitiosum, nec suspectum censemur, *cap. 3. Ext. de fide instrum.*  
2. Non debet recipere extraneam quandam interpretationem, sed quæ  
ex verbis desumi potest: & pro omisso habeatur, quod in illo non con-  
tinetur, est enim illud stricti juris. 3. Non sit in aliqua parte falsum,  
*cap. 6. de fide instrum. l. pen. C. de probat.* 4. Instrumenta ab una ea-  
demq; parte prolata ne sint diversa, alias fidem sibi invicem derogabunt,  
nec quicquam firmitatis habere poterunt, *l. 14. C. fid. instr.*

22. Circa instrumentorum productionem observardum est, il-  
lam post item contestatam, quemadmodum alia probationes tum de-  
mum producuntur, fieri debere. De editione eorum tenendum; In-  
strumentum vid. commune, quod pars altera habet confessum vel de  
re communi empta, vel pluribus in testamento legata, *per l. 2 ff. Comm.*  
*divid.* ad fundandam suam intentionem, utriq; parti hoc petenti  
exhibendum est, *cap. 12. Ext. de fide instrum.* Cùm id, quod

nobis cum aliis commune est, & nostrum sit. l. 25. ff. de v. s. l. 24. ff.  
de legat. 3. Sin proprium fuerit, ediq; illud actor à reo petierit ad pro-  
bandam suam intentionem, ex illo jevari non debet: cùm neq; juris,  
neq; æquitatis ratio permittat, ut aliorum instrumentorum inspicien-  
dorum potestas fieri débeat. l. 4. C. de edend. cap. 1. Ext. de probat.  
Deniq; instrumenti de rebus in judicio apud magistratum a cùs confessi  
non modò reo, sed etiam actori copia fieri potest.

23. III. Inter species plenarum probationum referuntur etiam  
Confessio. Ea est vel judicialis, quæ in judicio fit coram suo Judice:  
Sicut enim sententia à non suo Judice lata non tenet, ita nec confessio  
coram ipso valeat, cap. 4. Ext. de Judicij. Vel extrajudicialis, quæ  
extra judicium & non coram judice fit. Illius tanta est efficiacia,  
ut in civili causa sententiae & rei judicatae habeat vim, l. un. C. de Con-  
fessis. l. 1. ff. Eod. nam superat omne genus probationis. Mascard. Vol. 1.  
de probat. concl. 344. n. 2. In criminali v. aliud dicendum: non enim  
confessus h̄c habetur pro condemnato, sed opus est prius constare de  
delicto verè perpetrato, & tunc ad confessionem rei potest ferric con-  
demnatoria sententia, l. 5. ff. de Custod. & exhib. reor. l. 1. ff. de panis l. 13.  
C. Eod. Hujus verò est vis, ut si in judicium ea loco probationis produ-  
citur, in civilibus, parte præsente, per duos testes probata plenam faciat  
probationem, modò per verba dispositiva, non enuntiativa sit facta.  
parte autem absente, si probata fuerit per duos testes, semiplenam.  
Marant. de ordin. judic. part. 6. de Confess. n. 2. At in criminalibus e-  
jusmodi confessio indicium saltem facit ad torturam. Mascard. de pro-  
bat. vol. 3. Conclus. 1385. n. 28, Marant. d. l. n. 3. Sed adde Confess. crimi-  
Carol. art. 32.

24. Ad confessionem hæc, quæ subsequuntur, & alia, requirun-  
tur i. Ut confessio fiat à majore 25. annis. Nam in pupillo tutoris autorि-  
tatem exigimus: minorem à confessione sua restituemus, l. 6. S. 5. ff. de  
confess. 2. Ut sit facta sponte & liberâ voluntate, non coactione: om-  
nis enim confessio, quæ fit ex necessitate, fides non est cap. 1. Caus. 15.  
quest. 6. nec questioni sc. soli adeò fides est adhibenda. l. 1. ff. de que-  
stion. Et D. Severus rescripsi, confessiones reorum, pro exploratis faci-  
toretibus haberi non oportere, si nulla probatio religionem cognoscen-  
tis instruat, l. 1. S. 17. ff. de question. qua de ré magna à Judice adhiben-  
da est prudentia, ut, antequam ad quæstiones & tormenta deveniat, cir-

GUM

enstant as omnes, & cum primis personarum accurate considereret.  
l. i. cum §. §. sequentib. aliquot. ff. de questionib. 3. Ut sciens confiteatur;  
qui enim errat, non facetur, l. 2. ff. de Confess. quippe nulla est erran-  
tis voluntas, l. 20. ff. de aqua & aqua pluv. arc. nullus consensus, l. 15. ff.  
de jurid. l. 116. §. 2. ff. de R. l. 4. Ut confessio sit contra conscientem cui  
creditur, non pro illo l. 7. C. de probat. l. 11. §. 1. ff. de interrogat. in jure  
faciend. cap. 2. Ext. de confess. Ut adversario ipso vel ejus procurato-  
re vel auctore praesente ea sit facta. Etenim eo absente confessus pro ju-  
dicatio non est habendus, l. 6. §. 3. ff. de Confess. 6. Opus est, ut is, qui  
confiteretur, sit dominus causae: confessio enim per ejus procuratores  
vel tutores non sufficit l. 6. §. 4. ff. Eod. 7. Ut non sit facta contra natu-  
ram, veluti si quis affirmat, quendam, quis enī sit, suum esse filium l. 13.  
**ff. de interrogat. in jure faciend.**

25. Non minus probat IV. Jusjurandum, l. II. §. ult. ff. de jure  
jur. l. ult. §. 10. C. de jure deliber. Describitur, quod sit enunciatio reli-  
gioſa, sub obtestatione numinis divini. Est hoc vel judiciale, vel extra-  
judiciale seu conventionale.

26. Judiciale est, quod in judicio praestatur. Et cum hujus  
plurimae sint species, brevitatis causa, proq; hujus loci ratione quasdam  
attingam. 1. Occurrit juramentum Necessarium, quod alio nomine  
dicitur suppletorium sive suppletivum: Estq; illud, quod ad supplemento  
semiplene probationis defertur: ut, quando reus vel actor semi-  
plene probavit intentionem suam per unicum videlicet testem, omni  
exceptione maiorem, aut aliis modis, qui nulla presumptione dilui pos-  
sunt; tum Judge defert hoc juramentum alteri parti, (modò sit perso-  
na honesta & vita integræ, quia alias non nulli hominum ad jurandum  
contemptu religionis sunt faciles. l. 8 ff. de Conditionibus iustit. ) ut illam  
probationem suppleat, l. 31. ff. de jure jur. l. 3. C. de reb. credit quo præsti-  
to (necessariò enim est praestandum, nec sine justissima causa recusari  
potest. cap. ult. Ext. de jurejur. ) suppleta erit probatio, & sufficiens vel  
ad condemnationem vel absolutionem. Marant. de ordine judic. pare.  
6. n. 2. de juram. Verum est autem hoc in bona fidei contractibus, nec  
non in ceteris causis civilibus non magnis, ubi in opere probationum ju-  
rejurando, causa prius cognita, res per Judicem decidi oportet, d. l. 3.  
C. de reb. credit. Non autem in criminalibus, cum probationes in iis  
idoneis testibus munitæ vel instructæ apertissimis documentis vel indi-  
citis

cōs ad probationem indubitatis & luce clarioribus expeditæ esse debeant. *I. ult. C. de probat. c. sciant cuncti.* 2. q. 8. Nec in aliis causis arduis & magnis, ut in causa matrimoniali, quæ quo ad probationes, criminali comparatur, & ideo in hac juramentum non defertur in probationis defectum, & hoc omnium maximè procedit, si ad dissolvendum matrimonium agatur. *Gail. libr. 2. Obs. 94.*

27. II. Juramentum Judiciale in specie sic dictum; quod defertur in judicio Judice approbante ex voluntate partis, *I. ult. ff. de jurejur.* ut si alter litigantium in probando suam intentionem deficiens dicit alteri, potes jurare rem ita esse? alterq; (juramento calumniae prius à deferente præstito, si fuerit exactum, *I. 34. §. 4. I. 37. ff. de jurejur.* *I. 9. C. Eod.*) jurat, vel paratus est juramentum dicere, & hoc ei ab adversario remissum, (hujus enim eadem efficacia erit, ac si juratum esset, *I. 9. §. 1. ff. de jurejur.* *I. 8. C. de reb. credit.*) causa non est ulterioris probationis, sed habetur quasi satis probata sit jurejurando, *I. 5. §. 2. ff. de jurejur.* Etenim habet hoc juramentum maiorem autoritatem, quam res judicata, *I. 5. §. 2. ff. Eod.* Verum, cui defertur hoc juramentum, non tenetur præcisè illud præstare, sed licet referre potest, *I. 39. ff. de jurejur. cap. ult. Ext. Eod.* ex justa causa. *I. 12. §. 2. C. de reb. cred.*

28. III. Juramentum in litem, seu litis æstimatione: Per quod æstimatur res, de qua est lis: cum videlicet ab adversario contumaciā, dolo malo, *I. 5. §. 3. ff. de in lit. jurand.* & latè culpā, *I. 2. ff. Eod.* quæ dolus est, *I. 226. ff. de V. S. I. 1. §. 1. ff. Si mensur fals. mod. dix.* *I. 32. ff. de pos.* (non levi vel levissimā, ex qua non defertur, *I. 4. §. 4. ff. de in lit. jur.*) ea res vel non exhibetur vel non restituitur, vel dolo ejus factum est, quo minus vel exhiberi vel restitui possit, *I. 68. ff. de R. V.* Hoc juramentum non à parte, sed à Judice defertur, *I. 4. §. 1. ff. de in lit. jurando.* Cæterum si alius detulerit, vel, eo non delato, juratum sit, nulla erit religio, nec ullum jusjurandum, *d. I. 4. §. 1.* Estq; duplex. I. Juramentum in litem affectionis. II. Veritatis. Illud defertur ad probandam rei æstimationem, non quanti revera est, sed quanti valet ex singulari affectione domini, quam habet in illam rem, etiam ultra verum & justum valorem, *I. 1. I. 8. ff. de in lit. jur.* *I. 68. ff. de R. V.* Ast ne in immensum juretur, Judex certam quantitatē præsinire potest, *I. 4. §. 2. I. 5. §. 1. ff. de in lit. jurand.* secundum quam si juratum fuerit, licet Judici vel absolvere, vel minoris, quam juratum est, reum condemnare, *d. I. 5. §. 2. d.* *I. 4.*

l. 4. §. 3. ff. Eod. Cæterum hæc conjunctim huic juramento faciunt locum. 1. Ut sit talis res, in quam singularis cadit affectio. 2. Ut reus sit in dolo, l. i. l. 8. ff. Eod. 3. Ut actor sit dominus, d. l. 8. II. Hoc ad probandam veram rei aestimationem & commune interesse, quanti res communiter vendi potest, *suxta l. 63 ff. ad L. Falcid.* ut, si promissor Stichi dandi moram fecerit, isq; decesserit, hic Judex estimate sine delatione jurisjurandi non potest rem, quæ non extat, l. s. §. ult. ff. de in lit. juriand. ob dolum igitur de vera Stichi estimatione, quanti valebat, jurare possum. Vcl ad probandam estimationem singularis interesse extra rem, l. 2. §. i. l. 8. ff. Eod. ut, depositi penes te nummos, & quia eos restituere differt, ego ob æs alienum propter moram tuam in pñnam ex sententia judicis incidens jurare possum de isto interesse singulari extra rem, videlicet nummos, l. 3. ff. Eod.

29. Deniq; præstò est juramentum in expensis probandis præstandum. Hoc delato ac à victore præstito, non licet Judici amplius expensas taxare, Autb. post iurandum, C. de judic. Quod magis procedit, si illud victori Judex detulerit cum quantitate, quæ visa erit ei, rectè se habete: (quam taxationem vocant leges) deinde ille juraverit: non habet hic licentiam minus, quam juratum est, condemnare; ne lege, quæ hæc disposuit, clementior videatur Nov. 82. cap. 2.

30. Juramentum extrajudiciale vel conventionale est, quod extra judicium ex conventione partium à parte parti defertur, & ad probandum aliquid suscipitur. Quo semel suscepto deferenti referri nequit l. 17. ff. de jure jar. cùm conventio sit servanda, l. i. ff. de pactis & contractui ritè inito renuntiare adversario non consentiente nemo possit. l. s. C. de O. & A.

31. V. Præsumptio etiam multū habet probationis, & est existimatio sive opinio, quæ ex verisimilibus conjecturis ducitur: præsumere accipitur pro, ex verisimilibus argumentis & conjecturis existimare. Dividitur illa communiter à Dd. in Præsumptionem hominis & Præsumptionem legis. Hæc iterum est juris tantum, vel juris & de jure.

32. Præsumptio sive opinio hominis est, quæ homo quipiam præsumit ratione ac legibus ductus, licet in legibus id non sit expressum; sed hæc sine aliis adminiculis solidè fidem non facit.

33. Præsumptio juris tantum est, quando lex aliquid ex aliquibus conjecturis verisimilibus præsumit: ut de Chirographo cancellato, ex quo lex præsumit expressè debitorem esse liberatum, l. 24. ff. de probat. de redditia cautione, l. 2 l. 3 ff. de paltis. Hæc præsumptio admittit probationem in contrarium, d. l. 24. ff. de probat.

34. Præsumptio vero juris & de jure [juris, quia jure est introducta: de jure, quia super tali præsumptione lex inducit firmum jus, & eam pro veritate habet,] est dispositio legis aliquid pro vero præsumens, & super præsumpto firmum jus statuens. Non admittit hæc in contrarium aliquam probationem, l. 22. C. ad SCtum Velleja. l. fin. C. arbitr. tutela. Ratio hujus disjuncta est: cum enim hæc præsumptio fundata sit in expressa legis dispositione, igitur contra hanc nulla valabit alia probatio, quantumvis liquidissima. Sic etiam cum aliquis cum telo ambulat, hominis occidendi causa, præsumit lex illum esse homicidam, nec ultra valet probatio contra hanc præsumptionem, quâ se homicidam non esse probare nititur, quia everteret claram hanc legis dispositionem, vid. l. 7. C. ad L. Corn. de Sicariis.

35. Variae sunt cauæ, ex quibus præsumptiones deduci possunt, quæ metienda sunt juxta qualitates rebus, de quibus agitur, annexas. Ut, 1. Causa est natura, ex qua pater præsumitur diligere liberos, l. 8. § fin. ff. quod met. causa. § ult. Inst. de noxal. action. Iis recte prospicere, l. 3. § 1. ff. de administ. tutor. l. 9. ff. de probat. Optimè consuere, l. 22. § 4 ff. ad L. Jul. de adult. nullus enim affectus vincit paternum, l. 7. C. de curat. furios. unde parens iniquè aut exheredans aut præteriens liberos in testamento, quasi non sanæ mentis fecit testamentum, princ. Inst. de inoff. testam. Hac quilibet præsumunt bonus, donec contrarium probetur, l. 5. § 6. ff. de re milit. Quilibet res libera, l. 8. C. de servit. Senes prudentes, l. 5 ff. de jure immunit. cap. 3. dist. 20. Perfectio naturalis cuiusvis hominis, l. 9. ff. de liber. & possb. 2. Sexus muliebris, ut in mulieribus præsumitur infirmitas, l. 2. §. 3. ff. ad SCtum Vellei. Avaritia, l. 4. § 1. ff. Eod. 3. Præteritum, ex hoc præsumitur circa futura, ut ex transacta in re vita didicimus, quid de subsequenti conversatione tuā præsumamus, cap. 6. Ext. de presump. 4. Ætas, quâ facultas generandi præsumitur ex certo annorum numero, princ. Inst. Quib. mod. tut. fin. 5. Industria, cuius respectu Magistratus præsumitur dili-

diligenter fungi officio, l. 2. C. de offic. civil. Iudic. Quilibet curare res proprias, l. 14 ff. de præscr. verb. eas conservare, l. 25. ff. de probat  
6. Vicinia, ex qua præsumitur nosse vicinus conditionem & statum vicinorum: quanto enim viciniotes quidam sunt, tanto melius & subtilius rem cognoscere creduntur, cap. 7. Ext. de præsumpt. 7. Negatio unius ex duobus, ex qua affirmari præsumitur alterum: ut in illa Salvatoris nostri responione: Nonne benedicimus, Samaritanus es, & habes Dæmonium? respondit Jesus: Dæmonium non habeo. Duo hic illata ei fuerunt, unum negavit, alterum tacendo concessit, cap. 5. Ext. de præsumpt. 8. Tempus, secundum quod præsumitur justum esse filium ex iustis nuptiis septimo mense natum, l. 12 ff. de stat. homin. nisi proberetur maritum aliquamdi abfuisse, vel adfuisse, sed ob intervenientem quandam infirmitatem vel aliam causam cum uxore non concubuisse, l. 6. ff. de hñ, qui fuit vel alien. juri. 9. Conversatio, ex qua talis quis, quales sunt, quibuscum versatur, præsumitur. Sic eis juvenibus, qui cum senioribus versantur, ad virtutem Zelus crescit: Fiet enim seniorum conversatio iuventutis educatio perfecta, Nov. 5. cap. 3. Inimicus, qui cum initiaclis copulavit amicitiam, l. 28. C. de inoffic. testam. Pravus præsumitur, qui conversatione cum pravis hominibus utitur: Cum bonos mores corrumpant colloquia prava. 1. Corint. 15. v. 33.

36. VI. Deniq; Ocularis inspectio huc jure referitur: cum haec sit summa probationum omnium, Gail. lib. 1. Obs. 26. num 9. Nec tilla certior est probatio. Hinc evenit, ut jure optimo cuiq; probationum generi præferatur, Mascard. de Probation. vol. 1. Concl. 8. num. 3. in

37. Haec de probationibus plenis pro instituti ratione sufficient. Nunc, quæ semiplenam faciant probationem, paucis subjungam. Inter haec sunt Testis unus, & quidem idoneus ac habilis: Præsumptio hominis. vid. thes. 32. Confessio extrajudicialis, altera parte absente, etiam si illa per duos testes probata fuerit, Marant. part. 6. de ordin. jud. tit. de Confess. num 2. & alia

38. Hisce ita præmissis, quibusnam onus probandi incumbat, porrò dicemus. Incumbit illud regulariter Actori, §. 4. Inst. de legat. l. 23. ff. de probat. Etenim actore non probante suam assertionem, qui convenitur, & si nihil præstat, obtinebit, l. 4. C. de edendo. cap. ult. Ext. de jurejur. nec reum monstrandi necessitate adstringit actor: cum per rerum naturam factum negantis probatio sit nulla, l. 23. C. de probat. & nimis

nimirum est grave actorem intentionem probatione substitutam in reum derivare velle, l. 7. C. de testib. cap. 1. Ext. de probat. Interdum etiam reus probat, ut puta si in se suscipiat ultrò probandi necessitatem, quo modo non abs re erit, morem ei geri, l. 14. ff. probat. Sed si in probando deficiat, numquid gaudeat beneficio legis 4. C. de edendo? affirmantium castra hīc sequor, reum nihilominus esse absolvendum; Nisi in comperto sit, reum hoc modo in se onus probandi assumentem actorem ab eo planè elevare velle; tunc enim reus in probando succumbens est condemnandus. 2. Reus probat, si excipit, verbi causa debitor, qui creditori suo pecuniam debitam esse solutam affirmat, ejus rei probationem præstare tenetur, l. 1. C. de probat. Quippe affirmanti incumbit probatio, l. 2. l. 5. l. 22. ff. Eod. & actori, l. 4. C. de edend. qualis sit reus excipiendo, l. 1. ff. de exception. l. 19 ff. de probat. Idq. recepto chirographo probare potest, sive illud adhuc sit integrum, sive cancellatum, nihilominus debitor liberatus viderur; nisi manifestis probationibus creditor sibi adhuc deberi ostenderit, quo modo debitor rectè convenitur, l. 24. ff. Eod. Diversum interdum obtinet, ut in exceptione non numerata pecunia, cuius respectu petitor, non reus, compellitur probare pecuniam esse numeratam, l. 3. C. de non numer. pecun.


39. Circa dilationem seu terminum probandi notandum est, eum esse moderandum, ut si ex ea provincia, ubi lis agitur, vel persona vel instrumenta poscantur, non amplius, quām tres indulgeantur menses: si v. sint extra provinciam, quām in qua est lis & quidem vel in continentibus, i. e. vicinis provinciis, sex custodiri menses justitiae est: ut in transmarina, aliave longinqua provincia dilationi novem menses computari oportet, juxta l. 1. C. de dilation. Verūm hæ probatoriarum dilationes sunt arbitriæ, unde judex pro distantiâ loci, pro qualitate causæ & personarum eas vel breviores vel longiores concedere potest. Ne tamen terminum probandi nimis abbrevietur vel nimis prolongetur, videat Judex: posset enim illo modo pars postea, dummodo antea sit contradicturnum (alias juri suo renunciare censetur, si sponte recepit ejusmodi breviorem dilationem) secundam dilationem petere, quæ de jure dari debet sine alia cause cognitione, quando prima non fuit integrata, Marant, de Ordin. judic. part. 6. tit. de dilation. num 15. & 17. & sic materiae dilationum non amputarentur, contra l. 2. C. de temporib. & repar. appellat. Hoc modolis, quæ restringenda ponūs, quām laxanda, cap. 28. de

28. de rescript. d. cap. 2. nutrimentum caperet. Insuper sciendum est, quod  
hæc dilatio probatoria, sit peremptoria. i. e. peritiat & auferat facul-  
tatem probandi post terminum ad probandum datum, etiam si verbum  
peremptoriae non sit appositum, Marant. d. loco. n. 2. Mastard. de  
probat. vol. 1. Concl. 116 n. 4. neq; possit dari plus in civilibus, quam  
semel, l. 1. C. de dilatione. l. ult. ff. Eod. ratio est, quia dilationes plures,  
etiam ex justa causa concessæ, odiosæ sunt ob moras, quas litii, quam  
dirimi quam citissimè & publicè & ipsorum litigatorum interest, adfe-  
runt. tum quia dilationes sunt amputandæ, l. 2. C. de tempor. & re-  
parat appellat. nisi rerum urgentissimæ ratione flagitante, l. 1. C. de di-  
latione. & utilitatis gratiæ litigantium, cognitæ causæ, iterum dilatio-  
nam ex eadem, quam ex alia provincia secundum moderamen loco-  
rum impertiatur: & maximè si aliquid inopinatum emergat. l. 7. ff.  
de feriis & dilat. In criminalibus autem causis, quæ majoris sunt  
ponderis, plures conceduntur dilationes, ne aliquoquin reus conqueri  
possit, læsam esse suam innocentiam, vel accusator desicere in proban-  
do crimen, quod sufficienter probari, probatumq; puniri Reipubli-  
maximè interest, l. 11. §. ult. ff. ad L. Aquil. l. 6. C. de defensorib. civit.  
videlicet accusatori duæ, reo vero, ut qui favorabilior. l. 125. ff. de R. I.  
tres, utrumq; causæ cognitæ, l. ult. ff. de feriis & dilat. conceduntur.

Potuisse h̄c facili negotio de amplissima hac materia plura ad-  
dere, sed jussu Statuti hujus Academiae pedem  
hic figere cogor.

Trinuni DEO semper sit laus,  
honor & gloria.









diligerent fungi officio, l. 2. C. de offic. civili iure res proprias, l. 14 ff de præscr. verb. eas conser-  
6. Vicinia, ex qua præsumitur nosse vicinus conci-  
einorum: quanto enim viciniores quidam sunt,  
hius rem cognoscere creduntur, cap. 7. Ext. de præ-  
unius ex duobus, ex qua affinitati præsumitur al-  
vatoris nostri responzione: Nonne benedicimus  
habes Dæmonium & respondit Jesus: Dæmoniu-  
m hic illata ei fuerunt, unum negavit, alterum tac-  
Ext. de præsumpt. 8. Tempus secundum quod p-  
filium ex justis ruptiis septimo mense natum, l.  
nisi proberetur maritum aliquamdiu absfuisse, vel ac-  
nientem quandam infirmitatem vel aliam causam  
abfuisse, l. 6. ff. de hi, qui fuit vel alien. jur. 9. C-  
lis quis, quales sunt, quibuscum versatur, præsumit  
qui cum senioribus versantur, ad virtutem Zelus et  
rum conversatio juvenitatis educatio perfecta, No-  
qui cum inimicis copulavit amicitiam, l. 28. C. di-  
bus præsumitur, qui conversatione cum pravis ho-  
bonos mores corrumpant colloquia prava. 1. Cen-

36. VI. Deniq; Ocularis inspectio huc ju-  
sit firmissima probationum omnium, Gail. lib. 1  
tilla certior est probatio. Hinc evenit, ut jure op-  
num generi præferatur, Mascard. de Probation vol.

37. Hæc de probationibus Plenis pro insti-  
Nunc, quæ semiplenam faciant probationem, pau-  
hæc sunt Testis unicus, & quidem idoneus ac habili-  
nis: vid. thes. 32. Confessio extrajudicialis, altera pa-  
la per duos testes probata fuerit, Marant. part.  
Confess. num 2. & alia

38. Hisce ita præmissis, quibusnam onus  
porro dicemus. Incumbit illud regulariter Actori, S-  
ff. de probat. Etenim actore non probante suam  
venitur, & si nihil præstat, obtinebit, l. 4. C. de eu-  
jurejur. nec reum monstrandi necessitate adstring-  
sum naturam factum negantis probatio sit nulli




Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No.

the scale towards document

cura:  
probat  
um vi-  
subri-  
egatio  
lla Sal-  
es, &  
Duo  
cap. s.  
m esse  
bomin.  
terve-  
n con-  
qua ta-  
nibus;  
senio-  
nicus;  
Pra-  
Cùm  
m hæc  
. Nec  
batio-  
9. 3.  
iciant.  
later  
homini-  
mi ill-  
tit, de  
mbat;  
3. l. 23.  
a con-  
Ext. de  
per re-  
bas, &  
nimis